

dirigat et gubernet omnia ad suam gloriam. V. C. me commendo per omnia. Is V. C. semper confortet. Datae *Vittenbergae* 19. Febr. Anno Domini M. D. XXXV.

V. R. P. et C. addictiss. *Iustus Jonas p. V.*

Spero me adhuc tam foelicem futurum, ut ad C. V. *Magdeburgi* veniam haec aestate.

Reverendiss. et clarissimo principi ac d. d. *Georgio* principi Anhaltino etc.

Archiv zu Zerbst.

264. Jonas an Joachim v. Anhalt.

1535. April 3.

Sendet eine Probe seiner deutschen Uebersetzung des Josephus, die er nach einer latein. Version angefertigt.

G. et p. in Christo. Mitto, clariss. et illuss. princeps, illuss.^o et clariss.^o principi et d. d. *Ioanni*, Cel. T. fratri, primum quaternionem translati in germanicum (quatenus fieri potuit) VI. lib. Iosephi etc. ut specimen demus sicut princeps petiit, illa quae non biblica aut sacra sunt tota, clarius transfundi in linguam nostram posse, si paulo liberius non per omnia verbum ex verbo reddendo sententiae, consilio ac principali instituto nos attemperemus authoris, quem transferre conamur. Cras alterum quaternionem mittam, dein tertium etc. et C. V. coram dicam eiusmodi asperas et incommodas translationes latinas, quarum non habentur fontes et originaria, non cito sed eo difficiliter absolvi posse, et citius integrum aliquem d. d. *Martini* aut *Philippi* librum transferri posse, quam ibi duas paginas; adeo sunt divinanda multa, quid sibi velit non ubique attentissimus aut certe non ubique ad perspicuitatem foelicissimus interpres latinus e graeco.¹ Sed de his coram. Christus V. C. semper confortet, quod indesinenter orabimus. *Dessaviae*. 3. Aprilis MDXXXV.

V. C. addictissimus *Iustus Jonas* calculo concertans.

Clariss. et illuss.^o principi et d. d. *Ioachimo*, principi ad *Anhalt* etc.

Archiv zu Zerbst

265. Jonas an Georg Forchheim.

1535. Apr. 8.

Er berichtet von seiner Krankheit, der guten Aufnahme, die er in Wörlitz gefunden und von der Ankunft des Fürsten Georg in Dessau.

G. et p. Proximo sabbato crudeliter arripuit me calculus meus tortor, eruefixor et carnifex, sic ut prae afflictione valetudinis non possem tibi scribere. Praefectus in *Worlitz* ad tuam commendationem valde humaniter et officiosissime nos tractavit. Principum clarissimorum

¹ Griechisch erschien Josephus zuerst 1544 in Basel, lateinisch Augsburg 1470.